

I. N. D. I.  
DE

**NOVI TESTA-  
MENTI GRAECI  
PRIMIS EDITORIBUS**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC  
DOMINO, DOMINO

**FRIDERICO AVGVSTO**  
PRINCIPE REGIO ET ELECT. SAXON.

HEREDE

**PVBLICVM CERTAMEN**  
PERMISSV SVPERIORVM

INSTITVIT

**M. IO. BENI. REINHARDVS**

MATVTINIS HORIS

XII. CALEND. DECEMB. MDCCXVII.

VVITTEBERGAE

RESPONDENTE

**MARTINO NYMPACHIO**

IVTERB. SAX.

---

VVITTEBERGAE Typis CHRISTIANI SCHROEDERI Acad. Typ.

Coll. diss. A  
1696, 1

a. XVII. 1.

*Excellentissimis Viris,  
Amplissimis, Doctissimis & Consul-  
tissimis Dominis,*

DOMINIS,

GEORGIO CAROLO LOSSIO,

qui summam potestatem iam habet,  
quam ornatissimo eximia laude,

et

IO. GOTHOFREDO MEDICCIO

eadem et pari laude longe dignissimo,

CONSULIBVS PATRIAE VRBIS

CETERISQVE, QUI IN SENATVM

VENERVNT,

*Dominis Suis,*

*Maximis Patronis, Nutriciis Optimis,*

demisse

haec dicat, & quasi consecrat

Respondens.



## ΣΥΝΟΨΙΣ.

*Prooemium §. I. de Aldinis editionibus et Colinaeana §. II. de Complutensibus earumque subsidiis, §. III. virtutibus §. IV. et vitiis. §. V. de Frobenianis earumque subsidiis, §. VI. virtutibus §. VII. & vitiis. §. VIII. de Stephanicis earumque subsidiis, §. IX. X. virtutibus §. XI. XII. et vitiis §. XIII. Epilogus cum epicrisi §. XIV.*

### I.

**R**es omnes & singula verba, quicquid id est, quod *Simonius, Erasmus, Suarezius, Episcopus, Beza, Vorstius* cum vniuersa *Pontificiorum, Socinianorum, Arminianorum* sua, et *καινοτόμων* turba tradunt, non minus in nouo DEVS, quam in veteri feriendo foedere dictitavit sanctorum virorum calamo, hancque ob causam ad hoc vsque tempus integra simul ita conseruauit: vt si quis est, qui hac frui noui foederis velit (velle autem omnes debent,) integritate, falsas lectionum varietates, quae ipso met sic volente DEO et sapienter permittente librariorum vel incuria, vel perfidia, vel temporis denique iniuria in codices manu scriptos irrepperunt, dispiciendi & probe a veris discernendi ab eo ante praerequiratur studium. Ardua haec res est, & factu propter codicum manu scriptorum distractionem admodum difficilis. Sed eam tamen, qui collatis MSS. plurimis nouum foedus hoc iam defuncti labore ediderunt, maxima certe, nisi omni, ex parte reddiderunt facilem. Quorum cum magna sit inter se dissensio, atque ingens ratione vsus, bonitatis & valoris discrimen, accuratum vel eorum institui examen, optimumque eligi, nostra sine dubio permagni inter est.

### II.

*Editiones autem, quae abhinc centum & circiter annis factae sunt, aut adhuc fiunt, nihil melius aut accuratius primis illis habent. Sunt enim omnes vel ad Frobenianas, vel ad Stephanicas, vel ad Plantinianas expressae recte iam dudum St. Curcellaeus sensit praef. N. T. in med. Verum ne quidem, quae antecessit Complutensis, quippe quae ipsa illa est, quam Plantiniana, vt idem mox paullo subiicit Curcellaeus, κατά πρόδας secutae sunt, nisi quod accentuum & spirituum notas in ea omissas adscripserint. Neque vero quae interueniunt, & cum ceterae omnes aut purae putae Frobenianae sint, aut*

ex iisdem *Aldinis & Frobenianis*, aut ex *Aldinis, Frobenianis, Complutensibus & Colinaeana* simul compositae, MSS. collatis speciem aliquam prae se ferre, seu continere aliquid in se singulare videri maxime volunt, *Aldinae & Colinaeana*. Quia illae aut parum, aut plane nihil recedunt a *Frobenianarum* prima: *Noui enim Testamenti textus Millio* iudice doct. *N. T. Prol. n. 1122. in iis Erasmico, qui paullo ante prodierat, adeo mirifice similis est, ut ad eum expressum fuisse, haud sit, quod dubitemus. Idem est editionis utriusque apparatus. Vitae Evangelistarum--* Quid? quod ab *Erasmica* adeo parum recesserint editionis *Aldinae* curatores, ut etiam errores eius quam plurimos in suam transferendos curarint. Haec vero *Colinaeana* propter nimis liberam *κρίσις*, cum friuole subinde, temere ac reclamante omni saniori iudicio, saepenumero etiam et longe frequentius claritatis et perspicuitatis causa auctor, exemplaris unius aut alterius praesidio fretus, facile a recepta priorum editionum, et quidem MSS. librorum complurium lectione recesserit, hoc loco considerata non venit, sed maximam auctoritatis amittit partem. Praeterea quod *Beza* in ea *defens. ad respons. Castalionis p. 222.* fuisse multa rescivit a quodam alioqui Graecae linguae doctissimo ex solis coniecturis emendata. Atque ita quidem est. occurrunt omnino hic, quorum nullum apparet in codicibus, quos haecenus videre contigit vestigium. At pauca tantummodo sunt, neque *c. l. n. 1145. Millius* in hoc disputationis genere versatissimus intrepide tribuere ea coniecturis, seu ingenio editoris audet. Mihi saltem nemo derogauerit fidem, si cuius vitricus hic fuit ac typographicae artis magister, *Simon Colinaeus, R. Stephanum* maxime, cum huic praesto fuerit operi, iisdem *Colinaei* inter cetera subsidiis potioribus in curando suo dixero instructum, atque adeo hic agi, necesse non esse, nisi de classibus tribus illis supra dictis editionum.

### III.

Primum in medio *Plantinianas* ponimus, seu *Complutenses*. Sic dictas modo a *Chr. Plantino*, qui accurate & eleganter de nouo subiecit prelo textum per *Ariam Montanum* correctum, tum a *Compluto*, *nouae Castiliae* vrbe, in qua eum composuerunt & per *Arnaldum Guilielmum de Brocario* ediderunt. Estque omnium prima & nobilissima editio haec, & magnae auctoritatis. quam tamen, quod valde

de

de miror, doctissimus *Ioannes Saubertus*, quem *αἰγιόως* de Graecis Noui Testamenti differentibus inter sese exemplaribus & variis lectionibus p. 343. P. 1. c. 29. *Hist. Cr. du N. T.* censet *R. Simonius* differere, in *Annot. in Matth. p. 39.* vbi de praecipuis agit N. T. editoribus praeterit. Siquidem quanquam abscondita, cum nondum tulisset suffragium Pontifex Romanus, ad 1523. fuerit, edita anno 1514. decimo Ianuarii die caractere minore, quo codices Graeci scripti sunt plerique, quali postea illustris *Wetstenianae* criseos auctor pag. eiusdem 37. non vidit alios alibi excusos: cum veteri coepta Testamento 1502. curante ac sumptus, nimirum plus quam 50000. suppeditante aureorum *Francisco Ximeno de Cisneros S. Balbinae* Presbytero Cardinali non vulgaribus, vt Prologus exhibet ad lectorem alter, seu temere oblatis exemplaribus, sed vetustissimis simul et emendatissimis, inter eaque codice ex insula *Rhodo* allato, illo in primis, qui exstat iam ad finem Bibliorum Graecorum *κατὰ τὴν ὁ* a *Sixto* quinto editorum, atque insigni prae ceteris illo, quem tanquam archetypum nostro tradidit *Leo decimus*, *Erasm. Epist. l. 23. ep. 8.* quemque proinde secutos eos in *Capitibus Argum. editioni quintae N. T. praefixis* ait *Erasmus*, ceterisque omnibus e bibliotheca Vaticana conquisitis: opera ac studio *Demetrii Lucae Cretensis*, *Aelii Antonii Nebrissenfis*, *Didaci Lopezii Stunicae*, *Ferdinandi Nonni Pinciani*, *Ioannis de Vergara*, *Alphonsi de Zamora*, *Alphonsi Medici Complutensis* et *Pauli Coronelli.*

IV.

Commodum accidit in Euangeliiis, ad vnus fere huius exemplaris arbitrium rem totam retulisse Complutensium editores. Hinc enim textus purior & ab *ὑποβολιμαίαις* lectionibus aliquanto liberior illo, quem exhibent posteriores aliquae editiones Noui Testamenti. Vnius nempe codicis ductum secuti, haud ita numerosas solius eius interpolationes in editionem hanc transtulere, cum alii seu libros non bonos nacti, seu per varios grassati, et ex iis clariora tanquam rectora consecretantes, admiserint in contextum longe plura non genuina, quemadmodum in *Frobenianis* videmus editionibus, *Aldina* & *Colinaei.* In Actis etiam Apostolorum & Epistolis, etsi ita prospere non cessit *Complutensibus* nostris diligens ista textus ad codicem hunc vnus descriptio, sanus tamen maxima ex parte textus fe-

re est, et supra quam a primis editoribus expectari poterat emendatus: ad genuinam dictionem Apostolicam omni propemodum sui parte egregie compositus. Tantaque propterea apud succedentes N. T. editores auctoritatis haec editio fuit, ut ad hanc mox, ubi e latebris proreperat, posteriores suas magis magisque accommodarint, suam vero in Euangeliis, Actis & Epistolis in illa Stephanus, *ὡς ἐν ἐδράφῃ* fundarit. Hac ratione, quae princeps diceretur omnium, digna R. Simonio P. 1, *Hist. Crit. du N.T. c. 29. p. 340. et Millio Prol. p. III. n. III. N. T. quae, sicut omnium prima erat, ita sola quidem fuisset, cuius textus (dempto uno aut altero vitio, quae in iterata proinde Bibliorum istorum editione sustulit Arias Montanus,) integer & illibatus in editiones posteriores quasque transisset, cum praestitisset omnino principi huic editioni (ceu immobili fundo,) ad marg. lectiones, quae meliores iudicarentur adiecisse, quam sublatis iis, has in ipsarum locum in corpore textus subrogasse.*

V.

Certum est, eos parum admodum sibi permisisse in emendatione textus huius *Vaticani*, immo potius ipsum vniuersum, integrum & illibatum propemodum, qualis exstabat in MS. exemplari, transtulisse in hanc editionem. Non modo quod opus a nemine antea tentatum, & fortasse quidem, ut ferebant tempora ista periculosum, aggressis consultissimum fuerit, intra textum ab Apostolica Sede iis propositum se totos, quoad eius fieri posset continere: verum etiam quod codicem praestantioris notae nacti essent, a quo non opus erat, ut in multis recederetur. At enim sic numero longe pluribus lectionibus singularibus conspersa passim haec est editio. Ictas enim, quod locum haberent in Apographo isto, utcunque reclamarent reliqui plerique codices, uti nostri iam omnes, haud aegre in textum cum in Euangeliis admisere, tum in Apostolorum potissimum Actis & Epistolis. In Apocalypsi vero, quia eam haud continebat eodex, commodo quod redundare potuisset inde, omni carere illos oportuit. Accedit omittas in ea variantes esse, tum accentus & spiritus, quorum illud *Glass. Pbil. S. p. 138. sqq.* minime nocuum, sed valde potius utile & maxime necessarium quam vehementissime desiderant *Br. Waltonus App. Bibl. p. 272. n. 5. R. Simonius*

*nus*

nus p. 340. sq. P. l. c. 29. Hist. Cr. du N. T. alibi, Io. Alb. Fabricius Bibl. Gr. l. 4. c. 5. p. 179. hoc quamuis studio antiquitatis profectum, apud R. Sim. Hist. Cr. du Vieux Test. p. 516. Grammatici postulant, quia saepius declarant sensum Spiritus & accentus. Quos tamen appositos strenue p. 37. n. 49. Auctor criseos *Wetstenianae* disputat ἐξ αὐτοψίας, similique ratione ipsi *Complutensium* contradicit Prologo, R. Simonio et innumeris aliis, atque etiam nominatim in *Bibl. Gr. l. 4. c. 5. p. 185.* laudato modo *Fabricio*, huius & adsertam ibi, dubioque procul ex interlineari Veteris Testamenti ortam hac data occasione versionem negat interlinearem. Conf. de his & reliquis *Compl. ed. N. T. Prol. & Millius N. T. Prol. n. 1089. sqq.*

VI.

Venimus nunc ad *Frobenianas*. Atque earum priores quatuor per *Ioannem Frobenium* patrem, postremam quintam per *Hieronymum Frobenium* filium et generum *Nicolaum Episcopium Basileae* in folio anno 1516. 1519. 1522. 1527. & 1535. edidit magnae lectionis nec minoris iudicii doctissimus vir *Desiderius Erasmus*, antea *Gerardus Gerardi* dictus, *Roterodami* natus, Theologiae Doctor, litterarumque humaniorum Graecae & Latinae cognitione suae aetatis celeberrimus, (Vid. *Io. Fabricii Hist. Biblioth. Fabric. p. 320. sq.* & quos ibi citavit.) vetustissimis simul & emendatissimis Graecis, ut ipse in *ep. Leonis X. nunc. et 4. ed. Apol.* refert, inter eosque *Reuchliniano* commentariis *Andreae*, aut *Aretbae* ad marginem locupletato Apocalypseos vno, Actorum & Epistolarum Apostolicarum altero, et residuis Evangeliorum codicibus quatuor in prima recognitione adiutus, et his, quae pridem in hunc usum ex aliis excerpserat probatiora: in secunda quinque. in tertia praeter alia accessit editio *Afulana*, seu *Aldina*, in quarta & postrema *Complutensis*. Sed enim adhibuit etiam in consilium complures Latinae translationis codices non infimae notae, et quoniam nouerat in rebus sacris religiose quoque versandum esse, nec hac contentus diligentia, per omnia veterum Theologorum, *Origenis*, *Chrysostomi*, *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Hilarii*, *Augustini*, *Theophylacti*, *Beda*, aliorum, scripta circum volans ex horum citationibus & interpolationibus subodoratus est, quid quisque legisset, aut mutasset. Atque annotationes adiecit, quae primum lectorem doceant, qua quiduis ratione fuerit immutatum: deinde si quid alioque

per

perplexum, ambiguum aut obscurum, id explicent atque enodent: tandem quae obsistant, quo minus proclive sit in posterum deprauare, quod vix credendis vigiliis restituerit. Quinque a nobis *Erasmicae*, non plures, habentur hic in numero editiones: priores tres cum Latina versione *Erasmica* sola coniunctae, cum *Erasmica* & simul *vulgata* posteriores duae. Nam sextam typis in guo anno 1543. per *Carolus Guillardum Parisiis* impressam, quam longe recesserit ea a ceteris *Frobenianis*, liquido nondum constat. Neque *Frobenianae* vero plures, nisi cum *Rechenbergio* maxime reuerendo nostro *Frobenianum* nescio quem ab *Erasmico*, id quod ego tamen minime probo, diuersum textu statuere velis. Supra dictae autem editionis quintae est Nouum Testamentum, quod aliquoties post *Hier. Frobenius* & *Nic. Episcopi* impresse-  
runt.

VII.

Fide praeter id satisfecisse *Erasmus*, diligentiamque omnem adhibuisse ait sese. Ac sese sic profecto res habet, quando mentis explicuit sensa in crisi *Fabr. Hist. Bibl. F. p. 320.* et alias aliis, singulas singulis, subsequentes iis, quae antecesserant, editiones reddidit subinde meliores, nec tertiae modo, quod Auctor *Wetst. Cris. vult p. 18. n. 5.* verum quartae etiam, et quintae margini lectiones quanquam paucissimas adiecit varias *Curc. N. T. praef.* pari ratione, qua in Annotationibus fini primae & secundae. Haud minore fortuna vsus, ubi in *Ioannis Frobenii*, qui magna diligentia artibus operam dederat & linguis, & eruditionis non gregariae nomine sibi comparato instructissimam officinam aperuerat, vixit sede atq. aetate *Melch. Ad. de Vitis Germ. Philos. p. 63. & 64.* vid. etiam reliqui, quos *Fabricius* citauit p. 320. Quippe qui cum optimos quosque auctores eleganter & accurate excusos foras dedit, & iterata editione *Hieronymum*, deinde *Augustinum*, & alios patres atque auctores in lucem protulerat, tum ipsius nostri Nouum Testamentum. Ita quidem, vt editionum tum *Frobenianarum*, tum *Stephanicarum*, tum *Plantinianarum*, accuratorem et elegantiam, quemadmodum profitetur c. l. idem *Curcellaeus*, assequi posse, summa votorum sit multis huius aevi typographis. Valuit gratia apud plurimos textus. Maxime apud hos, qui nouum constituerunt textum, in quibusdam qui se videlicet ad eum accommodarunt, sicut *Andr. Asulanus*, *Sim. Colinaeus*, & ipse *Rob. Stepha-*

Stepha-



*Stephanus*, & apud illos, qui Nouum recudentes Testamentum re-  
tinuerunt nudum eum, vt *Wittebergenses* in 4. *Witteb.* anno 1522.  
*Ceporinus* i. e. *Pellicanus* in 8. *Basileae* 1524. & 1531. *Platterus* in 8.  
*Basileae* 1538. et 1540. 1543. 1544. *Hier. Frobenius* et *Nic. Episcopus*  
in fol. *Basileae* 1540. et 1542. et in 8. 1541. 1545. et innumeri alii.

VIII.

Vt *Millius Prol. N. T. n. 1096.* arbitratur, *Erasmus* clauora tan-  
quam rectora fere consecutus plura longe non genuina admisit, quam  
*Complutenses*. In prima potissimum editione: in qua eodem n. 1121.  
censente praeter menda, quibus scater, typographica lectiones notan-  
tur vitiosae paullo amplius quingentae. Nec mirum, quod omni  
festinatione istam properauit. Graecorum multitudo codicum au-  
tem, quibus vsus in singulis est, tam praeclara et spectabilis haudqua-  
quam fuit. Ac licet in quarta magnam accessionem ex Graecorum  
voluminibus adiunctam, si quidem hoc intelligi de codicum, et  
non ipsarummet potius annotationum debet augmentatione, in  
eiusdem praefatione *Io. Frobenius* dicat, et maiorem in dies accre-  
uisse editori exemplarium copiam n. 1138. *Millius*, de eorum tamen  
numero, indole, ceterisque circumstantiis altum hic ei silentium:  
ipse contra *Erasmus* in *Apologia* quartae et sequenti praefixa mentio-  
nem tantum facit supra dictorum. Quam ob causam nec mirum  
deinde, quod tum in *Apocalypseos* calce, qua interminatur *Ioan-  
nes*, diminuentibus aliquid de verbis huius prophetiae ablaturum  
DEVM partem de libro vitae et ciuitate sancta esse, clausulam in pri-  
ma, quia iam haud occurrebat alius codex, e Latina versione in Grae-  
cum transtulit: tum pericopen de *Patris, Verbi et S. Spiritus* testimo-  
nio i. lo. V. 7. in eadem et altera praeteriit, eam vero anno 1521. in La-  
tina a *Frobenio* seorsim edita versione insertam ex codice, quem vo-  
cat, *Britannico* in Graecis reposuit: tum denique, quas fini & mar-  
gini adiecit, eae lectiones variae paucissimae habentur. Ad criticam  
quod attinet, qua vsus in opere est, *Erasmus* ab suae aetatis erudi-  
tis viris plurimis ob eam lacesitus, a *Parisiensibus* Doctoribus Theo-  
logis et *Natali Bedda, Francisco Titelmanno, Iac. Latomo, Eduar-  
do Leio, Iac. Lop. Stunica, Sanctio Caranza, Sepulueda.* Tempori-  
busque nostris modo a *Rich. Simonio*, qui *P. I. c. 29. Hist. Cr. p. 339. Sa-  
critique, inquit, est quelque fois trop libre et peu certaine.* Nolo

autem istud huic simpliciter et absolute, et sine vlllo respectu assentiri cum *D. Io. Henr. Maio Giffensi*, qui in *Ex. Hist. Cr. R. Sim. p. 394. b.* non immerito audaciam ac nimiam libertatem *Erasmii* improbasse putat *Simonium*. Rectius *p. 18. n. 4. Wetst.* Criseos Auctor: *R. Simonius non semper libere de Erasmo eiusque labore iudicat; forte aliter iudicaturus, si Pontificius non esset.* Inter cetera enim saepissime quoque *Simonio* videtur libere iudicasse, vbi contra Pontificiorum errores *Erasmus* pro vera disputat religione. *Vid. c. 36. des Princ. Comment. R. Sim. Hist. Cr. du N. T. P. III. et c. 35. p. 604.*

IX.

Tertio tandem et postremo loco *Stephanicas* attingimus editas a *Roberto Stephano* fortunato, celeberrimo illo *Henrici* illustris graeaeque doctissimi itemque *Roberti* iunioris patre, *Simonis Colinaei* autem priuigno. *Parifinus* erat iste *Robertus Stephanus* pater, Pontificius, deinde Calvinista, trium linguarum peritus, typographus regius *Parifensis*, post modo *Geneuensis*, singularis plane industriae nec minoris ingenii vir, doctissimus et peritissimus, atque vt *R. Simonius* existimat *P. II. c. 9. p. 130. Hist. Cr. du N. T.* peut être comparé aux plus habiles Critiques, vt *Beza ap. Wetst. Cr. Auct. p. 18. n. 5.* ad bonum *Ecclesiae* natus. Quae ei omnia etiam *Iac. Aug. Thuanus*, vbi doctissimum eum dicit *T. 1. Hist. p. 54. l. 3. ad annum 1547.* ac peritissimum, de huiusque agit decessu *Tom. 1. lib. 23. ad annum 1559. p. 472. ed. Francof.* tribuit, neque satis efferre laudibus potest. Cuius nos vtique de eo refert *ἐγκώμιον* hic subiungere: Eodem anno 1559. viuis exemitus est *Robertus Stephanus Parifensis* typographus regius. secundum *Aldum Manutium*, qui *Venetis*, et *Ioannem Frobenium*, qui *Basileae* eandem artem summa laude exercuerunt, clarissimus: quos ille longo spatio supergressus est, acri iudicio, diligentia accurata, et artis ipsius elegantia: cui ob id non solum *Gallia*, sed vniuersus *Christianus orbis* plus debet, quam cuiquam fortissimorum belli ducum ob propagatos fines patria vnquam debuit: maiusque ex eius vnus industria, quam ex tot praecclare bello et pace gestis, ad *Franciscum* decus et nunquam interitura gloria redundauit, sed migrante ad *DEVM* optimo non solum principe, sed litterarum fautore ac parente eximio, indigna bene merito

rito

rito de patria cui tot editis Hebraicis, Graecis et Latinis libris gra-  
 tia repensa est a theologorum nostrorum collegio, qui hominem reipu-  
 blicae inuigilantem & quasuis aequas condiciones accipere, se para-  
 cum demonstrantem non desierunt laceffere, donec ille vexationum in-  
 iustarum pertaesus ex necessitate consilium cepit, et relicta patria  
 Geneuam ad extremum se contulit; ubi tanta prudentia publicam se-  
 mul et priuatam rem curauit, ut quamuis tot aduersitatibus confi-  
 ctatus et incommoditatibus, quae solum verentibus necessario per-  
 ferendae sunt; tamen in opere assiduus ad vltimum vitae spiritum  
 laudabile rei litterariae adiuuandae propositum constanter retinue-  
 rit, ac tandem cum LVI. annum vitae ageret, VII. Eid. VIII. fatis con-  
 cessit, foris gloria diues, et domi liberis, qui Geneuae manerent, reli-  
 cta opulenta suppellectile. hanc enim legem ingratae patriae pertae-  
 sus, non tam eius odio, quam iustae, ut putabat, vltionis ratione in  
 testamento dixit. itaque Robertus filius, qui eandem artem Lutetiae  
 summa cum laude pro facultatibus exercuit, ab hereditate paterna  
 omnino exclusus est: quam Henricus tanto patre dignissimus filius cre-  
 uit, qui typographicam non solum longe tempore itidem postea exercuit;  
 sed multa ad iuuandam rem litterariam propria industria contulit,  
 inter alia edito aemulatione patris, qui linguae Latinae penum olim  
 condiderat, linguae Graecae copiosissimo, et multorum principum ga-  
 zis praefereudo thesauro. Conf. P. Colomesius Opp. p. 22. Blountius  
 Cens. celebr. auct. 638. Iansson ab Almeloveen, M. Maittairius de  
 vitis Stephanorum et Ancillonius Mel. Crit. P. II. 92. Quos libros  
 Thuanus edidisse dicit Stephanum, inter hos primo prae omnibus loco  
 ponimus, quos ipse proprio confecit Marte, Elucidarium Poëticum,  
 Lexicon latino-gallicum et Lexicon gallico-latinum et incomparabi-  
 lem illum Latinae linguae Thesaurum, ad quem Morb. T. 1. L. 4. c. 9.  
 par. 10. Pol. et Thomas. de Pl. Litt. par. 409. 412. quasi ad prandium pa-  
 ratum venerunt plagiarii non suis laboribus opus alienum exornaturi,  
 sed submoto auctoris nomine suum impudentissima audacia reposi-  
 turi. Tametsi ab aliis decem viris Tusano, Budaeo, Baifo similibus-  
 que doctissimis adiutus in isto fuit. Nam quibuscunque erat nego-  
 tiis implicatus, in iis fere omnibus, ut Rezam, viros et maximi consilii  
 adhibebat, et summae doctrinae. Quorum vnus cum ipse quoque  
 filius esset Henricus, certe de quo sibi gratulari potuit, Robertus habuit.  
 conf. Mill. n. 1258. Pr. N. T.

Magnia quouis aestimabantur Latina Vulgata, quas saepenumero edidit: *R. Simonius* mirifice, anno maxime 1540. edita, laudat: accuratissima vero et correctissima dicit *Hentenius*, accurate quoque idem hic in suis sequitur, eaque omnia iussu, instructione ac iudicio grauissimorum longeque eruditissimorum et acerrimi iudicii Theologorum Academiae Louaniensis. *Henten. in praef. et R. Simon. p. 136. Hist. Crit. du N. T. des Vers.* Quae sicut Hebraica, *Robertum* ante etiam, quam Graecum Noui Testamenti textum edidisse, operam praeterea et studium, vt ego certissime persuasus sum, *Colinaeo* in *Colinaeana* procuranda nauasse, commodum accidit. Sic enim, quanto iam in hoc exercitior genere erat, tanto sibi polliceri plura et maiora exinde omnino poterat. Quatuor autem tantum numerantur, quas prelo subiecit editiones, cum quae reliquae *Stephani* nomen prae se ferunt, aut *Henrici* et *Roberti* filiorum sint, aut *Pauli Stephani*. Tres *Parisis*, earumque priores duae anno 1546. et 1549. in 16. tertia anno 1550. in fol. et vna *Geneuae* anno 1551. in 8. Atque in quatuor his vsus noster tam editionibus omnibus est, quae iuxta *Complutensem* antecessere, quam sedecim, quos dicit codicibus. Ad posteriores hos quod attinet, non minus, quam *Erasmus* & *Ximenius* suorum, valorem praedicat eorum et vetustatem, ipsaque vetustatis specie aliquot pene adorandos vult in praef. Duo Nouum Testamentum integrum continent, septem integrum praeter Apocalypsin, vnus praeter *Marcum* et hanc integrum, duo tantummodo Euangelia & Acta, tres Euangelia, vnus epistolas et Apocalypsin: nisi quod in septem quaedam deficiunt. Corrogati vnde fuerint, de eo in contrarias abeunt sententias eruditi. *Wetstenianae* Criseos Auctor p. 18. n. 5. *Robertum* ait anno 1546. in minore forma dedisse N. T. Graecum ex Bibliotheca, vt ferret titulus, regia sine vlla variante lectione. Postea anno 1550. nitidissimam suam editionem in folio, collatam cum XVI. codd. manuscriptis produxisset. *D. Maius* in *Ex. Hist. Cr. N. T. R. Sim. p. 395. et 396.* cum Theologi *Parisienses* impressum exemplar ad vetus exemplar examinari et tale afferri postulassent, ipsis *Robertum* dicit respondisse, hoc non posse fieri, quod non vnum esset, sed quindecim, retata in Bibliothecam regiam, quibus diligentissime collatis pro suo

suo cum erga principem, tum vero erga remp. officio istud impressisset: ex iisque verbis iam adductis colligit XV. exemplaria e Bibliotheca regia precario data, et absoluto opere in eam illata iterum esse, itaque non solum in vna prima editione vult, sed in altera quoque et tertia codices adhibitos non nisi regios MSS. fuisse. At Saubertus p. 61. Ann. in Matth. & Millius n. 1156. Pr. N. T. et alibi octo tantum regios, cum in prima vna, tum in altera et tertia usurpatos memorant, ceteros aliunde coactos. et recte quidem. Nam constat omnino praef. in ed. tert. cum in prima, tum in altera editione et tertia Nouum Testamentum Graecum cum iisdem sedecim vetustissimis scriptis collatum, ac fuisse ex hisce sedecim octo duntaxat regios, vnum ex Italia missum, reliquos vt licuit aliunde. Nec plures vero alios numeri tertiae editionis indicant. Ac noster quando relatos in regiam bibliothecam quindecim dicit, id aut modo de octo regiis in sensu diuiso vult dictum, aut ita composito, vt codices hos iam ante in regia bibliotheca fuisse omnes, ratiocinari ἀπλῶς ex eo minime liceat: plures enim, quam vnā, persaepe obtinet vocula referre significationes. Sed enim scribentibus insuper fidem ceteris paribus magis, quam loquentibus habeamus.

#### XI.

Graeci Testamenti Noui nitidissimae fuerunt editiones et accuratissimae, quod a *Tbuano* et *Curcellaeo* iam supra accepimus: nec enim sumtus in iis procurandis et labores, quam in Latinis Vulgatis impendit minores, remque caute et cogitate tractauit. Fidei firmum ipse et graue testimonium dedit, cum cui tamen, propterea quod a periculo et Sorbonicorum contumeliis conuiciisque prohibuerat in aula eum, multa debebat, *Petrus Castellanus* Episcopus *Marisconensis* peteret, vt inter varias lectiones referret locum I. Cor. XV. 51. πάντες μὲν ἔ κοιμηθήσομεθα, πάντες δὲ ἀλλαγῆσομεθα, iste responderet vero: *Nego me posse adduci, vt vnquam contra fidem omnium codicum quicquam mutarem, atque ita falsarius deprehenderer.* In primae vero editionis praefatione de fide hac sic scribit, vna simul de diligentia: *Quo quidem in opere excudendo eandem, qua in ceteris vti solemus diligentiam: maiorem etiam, vt par erat, religionem praestitimus. Siquidem codices naēti aliquot ipsa vetustatis specie pene adorandos, quorum copiam nobis Bibliotheca Regia facile suppedita-*

vit; ex iis ita hunc nostrum recensuimus, ut nullam omnino litteram  
 secus esse pateremur, quam plures, iique meliores libri, tanquam testes  
 comprobarent. Et in tertiae praef. Superioribus diebus C. L. Nouum  
 Testamentum cum vetustissimis sedecim scriptis exemplaribus quanta  
 maxima potuimus cura et diligentia collatum, minore forma minutio-  
 ribusque Regiis e characteribus tibi excudimus. Idem nunc iterum et  
 tertio cum iisdem collatum, maioribus vero etiam Regiis typis excu-  
 sum tibi offerimus. conf. Calov. Crit. S. p. 486, qui hanc ob causam  
 etiam R. Stephano Erasenum et reliquos postponit. Codices sine du-  
 bio omnes praeter Euangeliorum et Actorum vnum ipse inspexit,  
 quotquot nempe sub manu erant. Editionem Complutensem cyno-  
 suram fecit suarum et fundum, et il suivit ordinairement dans son  
 texte l' edition de Ximenes R. Sim. p. 340. P. I. c. 29. Hist. Cr. du N.  
 T. Mill. Prol. N. T. n. 1177. p. 119. Wetst. cr. A. p. 38. n. 50. Locis ta-  
 men in longe plurimis etiam recedit ab ea, ac praecipue in iis, in qui-  
 bus recedere debet, neque vero tam purior facta ex eo Stephanicis est  
 Ximenii editio, sicut Frobenianis, quas propemodum vbique iuxta  
 eam sequitur, Aldinis, Colinaeana, ceterisque.

## XII.

Editionem nullam concinnavit, in qua ante non correxisset ea, quae sibi  
 in praecedente displicebant. Variantes margini non primae quidem, ut Au-  
 ctor Wetst. Cr. p. 18. n. 5. dicit editionis, attamen reliquarum apposuit, itaque  
 est Complutensi vel ex eo praefereendus, ut l. c. subiicit R. Simonius, et on n'  
 est pas obligé de s' y arrester, a moins qu' on ne soit persuadé que les lec. ou de  
 l' Exemplaire du Cardinal sont les meilleures en ces endroits là. conf. Curcell.  
 ibid. In minoris formae editionibus Curc. praef. has, quae praecipuae vide-  
 bantur, annotavit solas, in maiore vero plures, lectiones nimirum 1926. de-  
 fectus 268. h. e. variationes 1194, et ex quibus desumptae codicibus singulae  
 fuerint, pariter adscripsit, eosque per litteras numerales  $\alpha$ ,  $\beta$ ,  $\gamma$ , distinxit.  
 Eaque est longe nobilissima editio illa, quam tollunt in caelum laudibus  
 eruditi, cum propter typi elegantiam, ut Millius n. 1221. p. 125. Pr. N. T. et D  
 Ioannes Fell Oxoniensium Antistes celeberrimus ap. eundem n. 1449. p. 159, tum  
 propter accuratorem eius, ut Br. Waltonus App. Bibl. n. 266, tum propter  
 prudentiae singularis et eruditionis specimina, quae in ipsa dedit, ut R. Simoni-  
 us, quia p. 340. c. P. I. c. 29. Hist. Cr. du N. T. on ne se sauroit, inquit, assez ad-  
 mirer la belle edition du Nouveau Testament Grec de Robert Estienne in folio, où  
 il donne des preuves de son erudition & de son jugement. In quarta denique  
 textum distinxit in memata ea, seu versiculos, quibus hodie utimur: quae  
 ei diuinitate forte, cum equitando Lutetia Lugdunum peteret, venerat in men-  
 tem. Insistunt Stephanicarum harum vestigiis, aetatis quotquot nostrae  
 im-

impressae sunt, et adhuc imprimuntur editiones, superioris etiam nisi omnes, tamen pleraeque, atque in primis *Elzeviriana* et *Wecheliana Saub.* p. 40. *Ann. in Matth. Mill. passim Pr. N. T. et Kust. praef.* Quarum tamen *Wecheliana* anno 1597. in fol. *Francos.* excusam *B. Gerhardus disp. P. II. p. 1275. Aldinae* ait vestigiis instituisse. Verum vitio *παρρησια* istud ipsis *Wecheliana*e editoribus vertitur, non *B. Gerardo*, eo quod quisque praefationis perlectis modo primis verbis haec auguraretur. Namque sic exstat: *Biblia Graeca seu divinae Scripturae nempe veteris ac novi Testamenti omnia,* (iuxta editionem *Basileensem*) recens a . . .

### XIII.

*Θεόπνευστος* haud fuit *Robertus*, ergo expletas omnibus suis numeris et partibus, siue perfectas, ne eius dicamus editiones. Infunt utique lectiones non genuinae. Multis mutatum locis perhibet vulgarem textum *R. Simonius Hist. Crit. du N. T. P. I. c. 39.* et *Millius* loca in sola vna *Colinaeana* observat *CLXXX.* textum verum et genuinum exhibentia, quae sibi se perperam habere apud *Stephanum* videntur n. 1149. *Prol. N. T. p. 116.* Undecim lectiones non bonas in secunda editione plures, quam in priore, quam in utraque priore, in tertia viginti reperiri ait idem *Millius* p. 125, n. 1220. et p. 127. n. 1229. *Prol. N. T. et n. 1337. p. 143.* Quin alibi etiam cum *R. Simonio* praestitisse putat *par. 4. disp. nostrae Complutensi* editioni ad marginem lectiones, quae meliores iudicarentur adiecisse, quam in earum, quae subditae erant, locum in corpore textus subrogasse. Ut *Carcellaeus praef. N. T. Gr.* iudicat, eam lectionem, cui pauciora exemplaria adstipulabantur, secutus interdum est *Stephanus.* *conf. Mill. c. l. n. 1337.* si modo inter pauciora illa *Complutense* esset, et ipsum in textum recepit lectiones, quibus nullum prorsus exemplarium *XVI.* supra dictorum fauebat, sicut *Io.* quoque *Morinus Exercitt. L. I. c. 20.* *R. Stephanum* vult quam plurimas lectiones servasse, quamvis cum *MS.* conveniant nullo. Variantes non omnes adiecisse *Robertum*, insimulant ex *Bezae* Annotationibus c. l. iidem, et redarguunt, et *Millius* passim, potissimum n. 1226. *sq. p. 126. et n. 1472. p. 162.* ubi plus loca variantia praeteriisse fatetur modo eum in *Complutensi.* In *Tr. de optimo genere interpretandi* ex codicibus *Gallicanis* lectiones saepe *Liadanus* refert, iis quas *Stephanus* annotavit, plane contrarias. An recte *1. Io. V. 7.* variantem signarit dubitat et *Lucas Brugensis*, et *R. Simonius ap. Mill. p. 581, N. T. Millius*, an rite codices ubique signarit n. 1160. p. 117. 1165. et 1171. p. 118. *Prol. N. T.* Crisin et criseos rationes si singulis variantibus addidisset, praestantior hic fuisset ipsius labor, quippe quod in multis illustris desiderat vir ille *Wetst. N. T. p. 49. n. 85. p. 25. n. 20. et p. 23. n. 17.* Nec non, si Patres simul et versiones consulisset: si explicite denique dixisset, quaenam editio fuerit, quam cum *MSS. codicibus* contulit? tum vero de singulis codicibus, cuius notae fuerint ac fidei? cuius (quoad coniectura assequi liceret,) aetatis ac saeculi? accurate et docta manu, an negligenter et ab ignaro librario exarati? Expectandum saltem, ut indicasset de codice quolibet, qui ipsi iam ad manum, integer fuerit, an imperfectus et mutilus? totumne *N. T.* contineret, an partem duntaxat? fuerit-

ritne Euangeliorum, an Epistolarum, an particularis alicuius Euangelii vel Epistolae, vel Apocalypseos codex? an etiam Lectionarium Euangelicum, vel Απόστολος? Mill. Prolog. N. T. n. 1156. sq. p. 117.

XIV.

Sed ἐγκλήματα haec omnia aut substantiam textus ipsammet non respiciunt, ut ea, quae ad variantes ac descriptionem codicum pertinent, de qua vero nos in primis disputamus, aut eam respiciunt, et sic vel nibilo in *Complutensi* minus et *Frobenianis* occurrunt, vel non occurrunt. Neque vero curamus ea, quae occurrunt, ut lectiones non genuinae in se simpliciter spectatae: nam si sunt conditionis per eas deterioris, *Frobenianae* quoque eiusdem sint, et *Complutensis* necesse est. Nec ea, quae non occurrunt: nam ea levissimi momenti, ut *Frobenianarum* ratione lustratio Latinae Versionis Vulgatae et Patrum, quam tamen penitus noster non neglexit, ipsis etiam *Frobenianis* usus: infimo sane inter subsidia loco habetur ea iudicio omnium. Ad haec, ut assertum illud de *r. lo. V. 7*, coniecturalia non nulla sunt, neque omnia quidem, quae supra recensuimus vitia, existimari vere et ἀσφαλῶς talia queunt. Sic vitium non est, non apposuisse *Stephanum* quasque variantes. Si enim non apposuit quasque, non temere, aut negligenter, sed data opera id fecit, ut qui praecipuas afferre tantummodo voluit, quod et plurimi alii fecerunt, et uti nuper modo accepimus, adhuc facturus in Anglia celeberrimus est *R. Bentley* uniuersam variantium copiam, millia nimirum plus XXX. ad C. usque solum variantes per millenarios codices sublaturus. Neque ex eo, quod in *Complutensi* plus Idem praeteriit loca, conicere licet, praeteriisse eum in ceteris quoque codicibus quasdam, aut etiam plurimas: potest enim simili ratione id consulto egisse, fortasse quod alia habenda hic erat editio et codicis impressi ratio, alia manu scripti. Propter quod accusandus maxime videtur, est quod lectiones, quae nusquam in XVI. codicibus inveniuntur, recepit in textum. At enim quantus earum est numerus? et ubi sunt? Si quae sunt, paucissimae sunt, recte respondeo cum *Wetstenianae* Criseos Auctore p. 72. N. T. et nisi in XVI. his, leguntur tamen in aliis. Quasdam demus in codicibus plane nullis legi, tamen propterea, quod paucissimae hae sunt, in editione *Complutensi* autem et *Frobenianis* multo maiora desiderantur, *Stephanicas* postponendas minime puto. Haec age ergo vna simul cum virtutibus subsidiisque coniungas, et cum *Complutensi* et *Frobenianis* *Stephanicas* conferas, et facile videbis, quam dignitate haudquaquam superentur ab illis istae, verum antecedant longissime: quam iis uti casque sequi proficuum insuper, immo prorsus necessarium sit, et fuerit. Nec enim, quod prima dicitur *Complutensis* et nobilissima, hanc duntaxat ob rem aliud statuimus faciendum. Nitamur autem earum oportet vna auctoritate sola, nec quicquam in istis mutetur: insignis enim utilitatis fructum, quia nihilo secius suae cuique editioni mendae manent, species libri cumulantur, et tamen variantes adiecisse, et critin cum *Wetstenio* et *Millio* sufficit, studio corrigendi et emendandi praebere eos, qui contra faciunt, dicere nullo modo ausim.

01 ( 0 ) 20

Coll. diss. A. 96, misc. 1